DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE REGIMINE PUERPERARUM,

QUAM, ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

LUDOVICI-VINCENTII RAOUL,

PHILOS. THEORET. ET LITT. DOCT. ET IN FACULT. LITT. PROF. ORD.,

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDECINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA REGIA GANDAVENSI,

RITÈ AC LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ ET CORAM TOTO SENATU ACADEMICO DEFENDET

HENRICUS-LUDOVICUS COPPIETERS,

NEOPORTANUS,

DIE 7 MAII 1825, HORA UNDECIMA IN ÆDIBUS ACADEMICIS.

GANDÆ, TYPIS J. N. HOUDIN.

REVERENDO ADMODUM

F. VAN DE WALLE,

IN MIDDELKERKE,

PAGO FLANDRIÆ OCCIDENTALIS PASTORI ÆSTIMATISSIMO,

AVUNCULO OPTIMO; MATRI DILECTISSIMÆ,

AD ULTIMUM USQUÈ VITÆ HABITUM, COLENDÆ;

FRATRI, SORORIBUSQUE CARISSIMIS.

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO DEDICAT

AUCTOR

J. L. Coppieters.

« Source féconde et sacrée de la vie, la Mère est la
» créature la plus respectable de la nature ; c'est d'elle
» que découlent les générations sur la terre ; c'est *Eve*
» ou l'être vivifiant qui nous rechauffe dans son sein,
» qui nous allaite de ses mammelles, nous recueille entre
» ses bras, et protége notre enfance dans le giron de son
» inépuisable tendresse. Femme ! Mère ! honneur de la
» création ! quels hommages éternels ne vous sont pas dus
» dans tout l'univers !

J. J. VIREY, *De la Femme sous ses rapports physiologique, moral et littéraire*, pag. 4.

PROOEMIUM.

INFANTIÆ et pueritiæ annos, tempora hæcce imbecillitatis vagituumque egressa, vix sanitatis cognoscere pretia, vix roseo decore juventæ splendere, vix animi oblectamentis hujus ætatis lusisque innocuis indulgere fæmina incipit, cùm imminere sibi videt ut singulo mense prospera et jucunda hæc omnia amittat, ob alteratum aut anomalum menstruorum fluxum: *Amenorrhœa*, *Dysmenorrhœa*, *Menorrhagia*, *Chlorosis*, *etc.* Dein viro matura, cujus tenera et fidelis socia, pœnarum voluptatumque particeps, si gravidetur, nova rursùs terroris, periculi dolorisque scaturigo: *incommoda conceptionis et gestationis*, *partûs labores*, *curæ lactationis et educationis.* Tandem quùm vitæ epocham attigerit, rectè criticam dictam, fluxus menstruorum periodicus cessare non potest nisi iterùm novis morborum causis ansa præbeatur: *mammarum et uteri cancer*, *scirrhus*, *hydatides*, *polypi*, *etc.*

Videretur provida cæteroquin sagaxque natura id voluisse, ut, quam in hominis felicitatem creaverat, quam ipsi, ut genus humanum quodam modo perennaret, adjunxerat, socia, tanti momenti functiones exsequi non posset, quin earum exercitium continuam et insuetam affectionum morbosarum originem secum traheret. Nonne oportebat pulchram illam et amabilem gentis humanæ partem, tot insignitam dotibus, tantis ærumnis obnoxiam vivere! Non immeritò igitur sexus fæmineus ab omni ævo historiæ naturalis cultorum attentione, philosophorum admiratione, poëtarum œstro et medicorum sollicitudine dignus fuit.

Momentum quod offert fæmina post puerperium, in quo statu omnium maximè apta est ut circumfusa eam molestè afficiant; ridiculæ plus minùsve opiniones hodiedùm adhuc vigentes, quibus ad errores committendos in regimine tam physico quàm morali fertur, undè omnes ferè morbi puerperales pullulant; innumeræ difficultates ejus hygienam stipantes à quibus adeò juniores medici abhorrent, quasque in quantùm fieri possit, prævertere conatus sum; me impulêrunt ut ritui academico obtemperaturus *regimen puerperarum* cæteris omnibus theseos inauguralis materiis anteponerem.

Ut methodicè procedam in determinandis regulis hygienæ ad hunc statum spectantibus, indicandum est quomodò, in ratione earum stitûs puerperæ uti debeant rebus ita dictis non naturalibus, quas *professor Hallé* ad sex classes redegit. Quùm verò magni momenti sint phænomena partum naturalem comitantia, et ex illis solis, omnis regiminis modus deducatur, non abs re fuerit, de iis priùs verba facere. Dividam idcircò dissertationem in septem partes.

In primâ, agetur de phænomenis partum naturalem comitantibus: huc *lochiorum fluxus*, *secretio lactis*, *dolores puerperales* spectant.

In secundâ, de applicatis: *amictus*, *fasciæ*, *mundities.*

In tertiâ, de circumfusis: *aër*, *cubiculum*, *mundities universalis.*

In quartâ, de gestis: *motus*, *quies*, *somnus*, *pervigilium.*

In quintâ, de ingestis: *alimenta*, *potulenta*, *pharmaca.*

In sextâ, de perceptis: *animi pathemata.*

In septimâ, de retentis et excretis: *lactis et lochiorum excretio*, *evacuationes quædam artificiales.*

DE REGIMINE PUERPERARUM.

De Phœnomenis partum naturalem comitantibus.

Quam maximè erraret is qui partum ut morbum propriè dictum aspiceret, omnia enim in eo appositè ad leges naturæ peraguntur. Reverà fæmina patitur in expellendo conceptionis producto, diceres quidem totum ejus corpus commoveri dùm fœtus isthmum pelveum transit; sed quantùm hi dolores differunt ab illis, qui à læsione organorum aut functionum quarumdam pendent! Nec causam, nec indolem, nec continuitatem eamdem accusant. Cæterùm sequelæ partûs raró per se infestæ sunt, quùm æquè sint naturales ac principium à quo oriantur. Status igitur puerperæ magis ad physiologiæ quàm ad pathologiæ provinciam pertinet, et auxilia therapeutica minùs quàm diætetica in eo conveniunt.

Quantumvis facilis partus fuerit defatigationem violenti ejus nixus semper post se relinquunt. Vehementes uteri, diaphragmatis et musculorum abdominalium contractiones, actio cordis et vasorum aucta, obstaculum quod partes, naturaliter angustæ, formæ peculiari capitis infantis offerunt, insignem doloris gradum producunt; verbo, tota œconomia violenter conquassatur, sensibilitas nervea augmentum capit. Si partus laboriosus fuerit phænomena suprà commemorata magis intenduntur. Uterus quoque magnam post infantis et secundinarum expulsionem, patitur mutationem : cavitas ejus multùm imminuitur; parietes ad se invicem accedunt et in contactu ponuntur; orificia vasorum sanguiferorum hiantia et patula suppeditant fluxum sanguineum (*lochia sanguinea*) nychtemeri spatio durantem. Mutatur hæc evacuatio per gradus, et sensìm fit minùs colorota, ut post duos dies colorem offerat serosum (*lochia serosa*); tandem tertio aut quarto die refert odorem suî generis, quem obstetricatores probè norunt, et colorem albidum lintea in modum lactis conspurcantem (*lochia lac-*

tea seu puriformia). Solent hæc quindecim circiter aut viginti diebus perstare.

Uteri parietes non semper tantâ facilitate sese exonerant; accidit quandoquè ut coagula sanguinis in hujus organi cavo post partum naturalem formata, seu ob nimium volumen seu ob ejus orificii nimiam constrictionem ibidem retineantur. Indè novæ contractiones, novi nixus (*tormina. postpuerperalia*) illos partûs æmulantes, ut uterus heterogenea illa expellere queat. Dolores illi sunt plus minùsve acuti in ratione sensibilitatis puerperæ, ab umbilico incipiunt, ad inguina et versùs coccygem desinunt; duodecimâ aut decimâ quintâ post partum horâ obveniunt; per accessus sensìm rariores et fortiores redeunt; per intervalla nihil è genitalibus effluit, sed post singulum accessum fæmina madidam sese sentit; spontè tertio aut quarto die cessant. Hæc est indoles dolorum quos coagulorum formatio producit. Qui verò ab infarctu parietum, aut à constrictione vasorum sanguineorum uteri pendent uti vehementiores ita quoque magis rebelles sunt; sanguis per intervalla effluit, post quæ nihil observatur; uteri orificium amplum et hians permanet, ejus volumen non decrescit.

Tertio aut quarto die post partum, quandoquè citiùs, raròseriùs, quùm lochiorum fluxus cesset aut imminuatur, in œconomiâ fæminæ locum habet turba quædam aut revolutio ephemera *febris lactea* dicta, quam potiùs *puerperalem* vocat *Gardien*, quandoquidem partum comitetur. Physiologi, gens hypothesium ferax, plurimas easque plus minùsve futiles proposuêre; una tamen quæ febrim lacteam ut crisim à naturâ productam considerat, quâ æquilibrium in organismo restituitur, tanquam omnium minimè incerta habenda est. Dùm febris illa evolvitur pulsus fiunt fortiores et frequentiores; facies accenditur, calor augetur; quandoquè obveniunt cephalalgia, sitis, rigor, lassitudo universalis : post hæc mammæ tument, calent et dolorificæ evadunt. Attamen symptomata illa in universum non diù durant; nam, post unum aut alterum diem remittunt aut terminantur sudoribus copiosis, odoris acidi, æquabiliter diffusis, vel excretione copiosâ lactis. Fluidum hoc primùm tenue, coloris serosi, odoris suavis (colostrum) virtutem habens purgantem, quâ meconium diluit et ejus excretioni favet, brevi mutatur in liquidum album, opacum, magis compactum et omnes lactis dotes referens.

De Applicatis.

Immediatè post partum inquirendum est an uterus contractilitate gaudeat necne. Si manus regioni hypogastricæ admota ibidem offendat corpus rotundum, durum et resistens optimum est signum, indicat enim uterum contractum esse adeòque nec hujus visceris inertia, nec hæmorrhagia hanc comitari solita, timendæ sunt; sin autem corpus persentiatur molle, flaccidum et iners, instituantur leves frictiones, quæ contractionem provocando, infarctum, dolores et tormina à coagulis oriunda, prævertere possunt. Metum de uteri prolapsu injiceret plenaria hujus absentia aut sensus vacui cujusdam supra regionem pubeam obvius; tunc digitus in vaginam immissus omne solvet dubium et cura secundùm regulas chirurgicas instituenda erit.

Donec sanguinis fluxus, liquidus et abundans erit, nisi fortè præsens aut futura hæmorrhagia terreret, in eodem lecto puerpera decumbat; attamen quùm defatigatio, partûs sequela, adhuc perstet, agitatio à translatione determinata, eam minùs afficiet, idcircò diuturnior cunctatio non est suadenda. Cæterùm quies et imperfecta et parùm reficiens foret in lecto humido et sordibus plurimis inquinato.

Antequàm puerpera alio lecto committatur, omnis opera impendenda est munditiei partium genitalium, vestes immutandi sunt, auferendum quidquid sudoribus, aquis et sanguine madefactum fuerit. Colluantur igitur partes genitales semper distentæ, quandoquè contusæ aut laceratæ, decoctis emollientibus. Rejiciantur lotiones aromaticæ, spirituosæ aut adstringentes; tantùm abest ut earum usus naturale volumen partibus illis reddat, ut è contrà irritationes et phlegmasias varias secum trahat. Dum infiltratio, œdema aut relaxatio quædam debellanda est, tunc tantùm ad illas confugere licet, neque unquàm ante plenariam lochiorum cessationem. Puerperam minùs molestabit lochiorum fluxus, si lintea seu penicula munda nec asperiora, nec frigidiora ita vulvæ applicentur ut eam exactè non claudant.

Syncopas, hernias et tormina præveniet fascia abdomen circumdans, simpliciter continens nec nimiùm constricta: ejus usum contraindicant dolor hypogastrii et diathesis inflammatoria, in quo casu ad fomenta emollientia confu-

giendum est. Præparata oleosa, unguenta et alia istiusmodi præscripta quibus fœminæ nonnullæ, formæ et venustatis semper sollicitæ, rugas et vibices abdominis avertere student exsulanda sunt : nisi noxii saltem suspecti effectûs sunt, quomodò enim elasticitatem et diametrum naturalem venis cutaneis abdominis, graviditate distentis et relaxatis, redderent?

Applicatio fasciarum et adstringentium ut evolutio mammarum, et lactis secretio impediantur, nullâ fide digna est; nedum concinnitatem et elegantiam horum organorum servet, illam deformat. Experientia quotidiana probat suppressione lactis intempestivâ multò magis flaccescere mammas, quàm si normalis earum secretio vigeat. Adde quòd compressio respirationem turbet, quòd suffocationem, apoplexiam et glandularum mammalium hoc tempore adeò sensibilium, infarctum producat, undè posteà inflammatio, scirrhus, cancer, etc. oboriuntur. O imprudentes, o insanas matres quæ tam futilia, tam levia ornamenta, pretio sanitatis, imò vitæ ipsæ servare cupitis! Quid enim vobis magis jucundum, quid suave magis contingere potest, quàm ut, quem in lucem edidistis infantem proprio lacte nutriatis? Sufficiet itaque mammas molli obvolvere linteo ut à contactu aëris arceantur et secretio normaliter procedat.

Quoad amictum, in genere observandum est illum variari debere ratione clymatis et anni tempestatis : sic in regionibus frigidis et tempore hyemali puerpera magis obtegenda est quàm in calidis et tempore æstivo. Vitæ genus, temperamentum, consuetudo, susceptibilitas major minorve modificationes quoque hîc afferunt. Urbium incolæ debiliores et magis enervatæ accuratiùs ab aëris impressione defendi debent quàm illæ ruris, quæ robustiores, temperiei vicissitudinibus assuetæ, à levioribus causis vix afficiuntur. Jam agendum foret de consuetudine crines forfice detondendi, quæ diù apud puerperas viguit. Hæc etsi ab *Anton. Petit* commendata ut imprudens et periculo non carens hodiè generatìm respuitur. Idcircò huic diutiùs non inhærebo.

Tandem puerpera ita induta, partibus genitalibus et mammis, linteis fasciisque idoneis obvolutis, collocetur in lecto. Sit ille culcitis, stragulis, linteolis, etc. munitus, non humidus et in ratione tempestatis anni ope hypocausti plus minùsve calefactus.

De Circumfusis.

Quod puerperis conveniet cubiculum erit amplum, nitidum, aëri pervium, longè à tumultu et strepitu remotum. Tempore æstivo seligendum illud quod orientem vel septentrionem spectat. Temperiem ejus justo majorem moderabit aspersio aquæ interdùm repetita aut ejusdem evaporatio; hyeme autem ignis accendatur qui frigoris intensitatem et cubiculi humiditatem dissipet; comburantur substantiæ tales quæ parvam fumi copiam suppeditando aërem nullo odore inquinant. Periculosus foret tantus temperiei gradus ut puerpera sudoribus difflueret, nam si aër frigidus in hoc statu feriat cutim, suppressionem lochiorum, phlegmasias et innumera mala producere valet. Nocet quoque temperies calida simul et humida, indè cephalalgia, molestum functionum omnium exercitium, sitis, transpiratio nimia, debilitas, dispositio major ad febres adynamicas et affectiones hystericas, oriuntur.

Aër sit purus, neque ullo principio noxio gravis; frequentiùs enim observantur funestæ post partum sequelæ, cum fœmina degat in locis humidis et depressis, in quorum viciniâ substantiæ aëriformes lethiferæ evolvuntur, qualia sunt nosocomia, paludes, officinæ quædam, etc. Vitandum quoque est ne emanationes odoriferæ aëri sese immisceant. Hæ quantumvis suaves, quondàm gratæ nunc fiunt nocivæ, cephalalgiam, syncopam et convulsiones nonnunquàm producturæ. Idcircò nemo floribus decoratus, capillis odoratis aut vestimentis delibutis, ad puerperam accedat. Interdùm renovari debet aër, quod commodè fit æstate circà tempus matutinum, hyeme verò circà meridianum; tunc enim omnium purissimus deprehenditur. Hâc neglectâ cautelâ, teter et molestissimus odor brevi cubiculum etiam vastissimum inficit. Sedulò auferenda sunt excrementa, lintea inquinata, urinæ et præsertìm secundinæ. Interdiù quùm radii luminis vividiores fuerint, in quantùm fieri possit, abarcendi sunt ut eorum impressio mitigetur; noctu sufficiet tenuis lucerna in camino aut vicino cubiculo, ne fumus molestet, collocanda.

Medium tenebit lectus duritiem nimiam inter et mollitiem voluptuosam; nec locum occupabit ubi liberior aëris circuitus, nec ubi plenaria ejus stagnatio

regnat, veluti in zetis profundioribus. Tunc tantùm supparia devolvantur quùm aëris renovationi opera impendatur; per reliquum tempus semper obvoluta servanda sunt, ut exhalationes è lochiis emanantes per totum cubiculum dispersæ vim suam et odorem amittant. Hîc maximè mundities colenda est. Immutabuntur igitur quotiescumque fluxus lochiorum ea inquinaverit lintea, vestes, penicula et ipsa stragula. Nihil sanè præceptis hygienæ magis adversatur quàm si puerpera per septem aut octo dies eodem amictu induta relinquatur; illud tantummodò observandum, ne, cum ille renovatur, aut frigidus aut humidus applicetur.

De Gestis.

Solent nonnulli obstetricatorum jubere ut puerpera supina in lecto decumbat, atque ab omni motu per nychtemeri spatium abstineat. Sed quænam hujus molesti decubitûs utilitas, inprimis cùm funestum nullum symptomata metuitur? Nihil magis reficit corpus defatigatum, quàm libertas motûs, sive positus in alterutrum latus, sive erectus quæratur. Hic ultimus semper, in quantùm possibilis sit, suadendus est, nam lochiorum effluxui favet, dolorem capitis, anxietatem et incommoda quæ diuturnam in lecto moram comitantur, mitigat.

An admittendum consilium *Delamotte*, qui ut hæmorrhagiam præveniat somnum tribus aut quatuor primis post partum horis proscribit? Sed hæc non minùs metuenda foret, dùm invincibilis in somnum propensio impediretur: hâc enim excitatione potius hæmorrhagia existens incrementum sumeret, nedùm sisteretur. Cæterùm somnus minimè contractioni uteri obstaculum ponit; observatio quotidiana probat fœminas immediatè post partum ei indulgere, nec indè quidquam mali percipere. Concedatur igitur quies perfectissima et somnus reficiens statìm post partum, si hujus necessitas adsit. Sedulò abarcendæ sunt vetulæ illæ garrulæ, quæ curiositate magis quàm amicitiâ ductæ, puerperam invisunt; quæque harum proponit, laudibus extollit et propinat suum specificum. Hæc conciliabula corrumpunt aërem, molesta sunt curam gerentibus puerperæ, quæ sæpiùs indulget inconsultæ loquacitati multis in casibus et plurimo sub titulo nocivæ.

Cautela utilissima non negligenda, hæc est, ut puerpera ante febrim lacteam nullis utatur exercitationibus. Si lectus componendus, culcitæ aut lintea renovanda, alius ritè præparatus ad manus sit, in quo interìm decumbere possit. Post revolutionem lacteam quotidiè aliquantisper è lecto surgat; incessus et statio nono tantùm aut decimo die permitti possunt. Quandò symphyses aut articulationes pelveæ tempore graviditatis relaxationem, sub partu diastasim perpessæ sunt, ante sex septemve hebdomadas lectum non deseret. Consultum erit ut domo non exeat nisi fluxu lochiorum cessante; eligatur in hunc finem dies serenus, quo aër nec frigore nec humiditate peccet. Si religione ducatur ad ecclesiam, Deo gratias actura, ob vitam tantis in doloribus incolumen servatam, longum iter pedibus non perficiet, sed rhedâ vehetur, diutiùs genua non flectet: vestibus sufficientibus non obtegi aut fasciam abdominalem negligere imprudentissimum foret. Perperàm medici et obstetricatores quidam ritum hunc damnârunt, dùm è contrà fœminis omnibus, religionem colentibus, suadendum est ut ei obtemperent; nihil enim noxii in se habet et abusus tantùm quos citiùs quàm par est, exeundo committunt evitari debent. Suam igitur religionis ministri, medici et obstetricatores conjungant auctoritatem, ut parturitio quæ sæpissimè tollit morbos, adversùs quos omnia artis auxilia incassùm adhibita fuêrunt, affectionum incurabilium fons et origo non evadat.

De Ingestis.

Remanet in genere post partum certa debilitas aut functionum languor, naturalis nixûs vehementis et dolorum sequela. Admittenda obstetricatorum quorumdam consuetudo qui, ut vires aliquantulùm refocillentur, juscula carnea aut potum vini generosi aquâ diluti præscribunt. Satis autem damnari non potest iste mos, apud vulgus inprimìs vigens, propinandi cardiaca quædam veluti liquores stimulantes, vinum purum aut aromatibus permixtum, potum coffeæ concentratum et cætera istiusmodi potulenta. Etenim si attendatur ad magnam stomachi et intestinorum sensibilitatem et sympathiam cum toto organismo, ad velocitatem circulationis sanguinis, quam parcus spirituosorum usus in fœminis

etiam sanis determinat, facile unicuique patebit quàm incongrua sint hæc stimulantia puerperis. Solummodò concedendæ forent illis quæ cachecticæ, debiles, lymphatico gauderent temperamento; sensibilioribus et sanguineis turbas varias, hæmorrhagias, inflammationes et convulsiones producerent.

Quænam alimenta puerperæ concedi debent? Quamvis ejus status non ad morbum sed ad convalescentiam relegandus sit, quod meritò clarissimi viri *Primerose* et *Tissot* contendêrunt, multas tamen requirit præcautiones. Quæ lactat fæmina vix quidquam in regimine mutabit, sed illud minùs strictum erit quùm sequelæ partûs rarissimè per se funestæ sint. Quod cæteras spectat, quantitatem et qualitatem cibi eamdem omnes non sument, utpotè nec eodem gustu, nec eâdem vi digestivâ præditæ. Respiciendum itaque ad temperamentum, modum vivendi, ætatem, etc., nam ut suo jam tempore divus senex monuit aphor 17, sect. 1. « *Concedendum autem aliquid et consuetudini et tempestati et regioni et ætati* ». Alimenta in genere sint levia et facilis digestionis; indigesta autem et stomacho gravia hujus functionem turbando febrim producerent, idcircò severè proscribenda sunt. Practici quidam pro solo nutrimento pulmenta et ova sorbilia commendant, donec febris lactea evanida fuerit : attamen si appetitus valeat et alia alimenta desiderentur, illis, parcâ saltem copiâ, uti licebit. Stante febre lacteâ, si intensa sit, juscula carnea tenuia, potus emollientes et antiphlogistici omnem absolvent indicationem. Hâc revolutâ febre, conveniet usus leguminum non flatulentorum et ritè præparatorum, piscium facilis concoctionis quales sunt apuæ, soleæ, passeres, etc.; si quod nonnullis accidit, melius in nutrimentum cedat caro, tutò concedentur gallinæ assæ et elixæ, aut carnes juniorum animalium.

Potus inter prandium optimus erit vinum generosum aquâ dilutum. Per intervalla sitim nihil melius compescit quàm aqua hordei, decoctum graminis, edulcorata saccharo, syrupo althææ, capillorum veneris aut pro re natâ, ribesiorum. Indicabitur leve infusum florum tiliæ si fæmina assueta sit insultibus hystericis; si flatulentiâ aut debilitate afficiatur, in priori casu conveniet infusum camomillæ aut florum aurantiorum, in posteriori illud menthæ piperitidis. Erethismus aut irritatio quædam uteri sæpiùs causæ sunt suppressionis lochio-

rum, idcircò potus diluens magis utilis erit quàm infusa croci, decocta artemisiæ aut rutæ, quæ tunc tantùm lochia revocare possunt, quandò eorum suppressio à debilitate vel animi pathemate oritur.

Quoad medicamina et remedia alia, apozemata, opiata, clysmata plus minùsve activa ob solutionem substantiarum quarumdam evacuantium, exsulari omnia debent; etenim actio quam in canalem intestinalem exserunt, sufficeret producendæ inflammationi vel saltem irritationi sympathicæ uteri, undè secretionum turbæ et mala alia gravissima oriuntur. Excipiendi sunt casus in quibus debellanda est rebellis constipatio quæ cephalalgias, calores immodicos abdominis provocat; sed tunc melius erit confugere ad clysmata emollientia.

De Perceptis.

Fæminam tempore puerperii summâ gaudere sensibilitate in dubium revocari nequit; tantam enim hoc tempore systema nervosum acquirit mobilitatem et susceptibilitatem ut stimuli, etiam leviores, gravissima producere valeant symptomata. Quot quantasque status ejus moralis non requirit cautelas! amoveantur itaque omnia quæ ejus animum nimiùm commovere valeant; sensationes sint gratæ, animi affectiones jucundæ, placida mentis concedantur oblectamenta. Ira, terror, gaudium, tristitia, mœror, odium et amor animum illius perturbarent et œconomiam, partûs laboribus jam labefactatam, undiquè exhaurirent. Nec desunt exempla quibus constat fortiores animi perturbationes hæmorrhagias, convulsiones, apoplexias, quin imò ipsam mortem intulisse. Nunquàm coram eâ agitentur res quibus vividè percelli posset, veluti prospera aut infausta terminata lis, absentia, morbus aut mors conjugis vel parentum. Ab omni abstineat puerpera lectitatione quæ mox visum ejus debilem defatigaret; tunc autem præcipuè noxia evadit talis lectitatio, quum, ob summum rerum momentum, animum captet, sensibilitatem exaltet, validioresque suscitet commotiones. Sexus infantis ab oculis ejus avertatur, donec evanuerit prima, quam, à gaudio infantem in lucem edidisse, percepit jucunditas. Si malè conformatus aut vitâ destitutus nascatur infans, non nisi summâ cum prudentiâ et multâ ambage tale infortunium matri communicandum, nec quidquam omittendum quod dolorem

ejus aliquatenùs attenuari possit. Sic nonnullis fæminis magnum est solatium, cùm sibi persuasum habeant, infantem ante mortem aquis baptismi lustratum fuisse. Hoc et multa hujus generis observata probant, quantùm in praxi medicâ, ut successus ejus magis stabiliantur, intersit ad principia religiosa ægrorum attendere.

Naturale est matri in lacrymas et lamenta prorumpere cùm infantem à nutrice auferri videt; tunc conandum est ei solatia afferre et cavendum ne sibi derelicta acerbis et molestis cogitationibus, indulgeat, undè tristitia augeretur, dolor incresceret, luctus conficeretur. Adeò functiones animi pathemata deprimentia infringunt ut exempla non desiderentur testantia, illis solis marasmum vel phthisim induci posse. Quotiescumquè puerpera de statu suo falsos terrores aut nimiam sollicitudinem concipit, erigendus est ejus animus. Si jucunda quædam aut prospera ei communicanda sint circuitione et anfractu opus est, tunc enim minùs afficietur cùm ex enarratione eadem veluti præsentire potuerit. Parentes, proximi et qui curam gerunt, soli in cubiculo admittendi sunt, curentque illi faciem componere si quid funesti evenerit, ne ullus hujus suspicioni sit locus. Noverant et veteres quanti momenti esset à puerperis omnem strepitum abarcere; hunc in finem Romæ et Athenis coronæ foribus suspendebantur, quod his verbis indicat *Juvenalis* satyrâ nonâ,

> . . . . Foribus suspende coronas
> Jam pater es. . . . .

Spartæ puerpera immunis erat omni salutatione officiosâ, quæ apud nos perperàm hodiè adhuc solemni ritu consecratur. Tandem recentioribus etiam temporibus magistratus Harlemensis fæminis post puerperium concedebat tutelam quâ creditori, apparitori et cæteris justitiæ ministris, militibus, etc., domi aditus interdicebatur.

De Retentis et Excretis.

Dum fæmina proprio lacte infantem nutrire sibi proponit, non exspectet donec lac, sic enim vulgus loquitur, ascenderit, sed statìm post partum, viribus

aliquantulùm refocillatis, illi ubera præbeat. Attamen non inutile erit priùs organa illa aquâ tepidâ colluere, et materiem acrem et viscosam, circum circà papillas secretam, excoriationes vitandi causâ auferre. In primâ parturitione sæpè parùm evolutæ et vix prominentes sunt mammarum papillæ nec facilè eas ore arripere potest infans. His in casibus satis diù invaluit mos quo infans ætate provectior, adultus aut juniora animalia ubera exsugerent ; in genere talis consuetudo suis non caret incommodis et leniora media tentanda sunt. Hunc in finem suadent nonnulli mammas fomentare ope panni lanei aquâ madefacti et caliculos vitreos aut eburneos, sacculo elastico instructos, papillis aplicare, ita ut hæ leviter et per gradus attrahantur, dùm moderata in utrumque latus mammæ, manu instituta compressio lac antrorsùm pellat. Summâ cum cautelâ adhibeatur illud instrumentum quod vacuum producendo, subitò papillam vi quâdam attrahit, ne mammis graves inferat læsiones. Postquàm hæc operatio bis terve repetita fuerit, facilè infans eas arripere poterit. Defatigationem evitabit lactans si primis à partu diebus frequentiùs aut diutiùs quàm par est, ubera neonato non præbeat et in positu declivi pulvinaribus sustentetur.

Omnes ferè morbos qui puerperas, tempore partûs etiam jam dudùm elapso, aggrediuntur, nonnulli perperàm lacti solent adscribere, undè vulgaris idea metastaseos lacteæ, et immensa remediorum anti-lacteorum farrago, quâ veteres pharmacopææ scatent ; specifica illa reverà nihil aliud sunt nisi purgantia plerumquè drastica, diuretica aut diaphoretica. Quid autem dicendum de remedio à *J.-C. Dalle* in dissertatione medicâ *de regimine puerperarum* proposito, quod sacculo constat camphorâ repleto et inter mammas, paucis à partu elapsis horis, applicato ? Quid de narcoticis à *professore Peyrilhe* adhibitis sentiendum ? Nimios scientia medica fecit progressus ut præjudicatæ illæ opiniones admitti queant ; secretionem lactis spontè cessare, si suctus continuus eam non provocet, cuique notum est. Committatur igitur opus viribus naturæ, quæ sola æquilibrium in æconomiâ fæminæ restituet. Qui illam inconsideratè dirigere tentaret, turbas periculo plenas inferret operationi quæ solummodò patientiam et leviores quasdam requirit cautelas. Nullos excessus in regimine committat lactans, hoc est præcipuum ; tunc omnia naturæ votis respondebunt : facilis erit

urinæ secretio et excretio, alvus manebit libera, transpiratio cutanea vigebit, solitum decursum absolvet lochiorum fluxus, secretio lactis sensim imminuetur. Igitur inutile erit ad fortiora confugere purgantia ut intestinorum torpor excitetur, aut fœminam stragulis obruere ut promoveatur sudor; horum vices supplent ænemata si adsit constipatio nimia, dùm grana quædam nitratis potassæ, potui ordinario permixta et sæpiùs de die assumpta sufficiunt ut stante febre lacteâ abundans suscitetur cutis mador, qui hujus ephemeræ perturbationis crisim constituere videtur; hâc solutâ, restituitur sanitas, omniaque ad statum normalem rediguntur. Hîc mihi vitio verteretur, si silentio supprimerem prudentem methodum *clarissimi Professoris Kluyskens,* qui postridiè partûs oleum ricini, rebellis constipationis evitandæ causâ, puerperis solet præscribere. Huic cautelæ, quod sæpiùs nos in prælectionibus ejus tum practicis tum theoreticis audivimus, tribuit successus quos per totum tempus quo artis obstetriciæ praxim exercebat, in avertendis morbis puerperalibus, obtinuit.

Arduum foret determinare quamdiù infantis lactatio protrahi debeat. Innumeræ circumstantiæ tam ad matrem quàm ad ipsum alumnum spectantes, quæque ex ætate, temperamento, viribus, vivendi consuetudine, etc. deducuntur, huc modificationes adferunt. In genere tamen ab ubere materno depulsio eo usque retardari debet, donec sufficientem vim digestivam infantis ventriculus acquisiverit ut alimenta magis nutrientia digerere valeat; quod ordinario nonum inter et duodecimum mensem locum habet.

TANTUM.

POSITIONES MEDICÆ.

I.

Nullæ sunt artes nullæque disciplinæ quibus medicina, tum nobilitate, tum dignitate et utilitate cedat, ne dicam non præstet.

II.

Disciplinis medicis magis profuere observatio et experientia quàm inanes theoriæ.

III.

Tanta in medicis, quanta in chirurgicis rebus certitudo.

IV.

In scientiæ et ægrorum detrimentum medicina à chirurgiâ separatur.

V.

Exclusorii *Broussais* systematis sectatores, æquè ac ejus pertinaces detractores vituperandi.

VI.

Eclectismum præsertìm in hodierno scientiæ statu, medici religione et conscientiâ amplecti tenentur.

VII.

Specifica nisi existerent sterilis foret omnis medicina.

VIII.

Methodus classificandi medicamenta duplex necessaria est : prior secundùm partes constituentes; posterior secundùm vires quas exserunt et organa in quæ agunt.

IX.

Quidquid de superfætatione statuitur hypotheticum.

X.

Quantum morbi sede, indole, therapeiâ et prognosi differre possunt, tantum virus sic dictum blennorrhagicum à syphilitico differt.

XI.

Somnus post pastum naturalis.

Nil, quod legibus Academicis contrarium sit, me invenisse testor.

J. C. VAN ROTTERDAM,
h. t. decanus.